

a 1529 ad 21. Junij = 257 it. 319

Petrus Tomicki vicecancellarius, Stephano  
Broderico episcopo Sirmiensi.

Reverendissime in Christo pater et domine frat-  
ter et amice charissime ac honorandissime. Ma-  
gnas ago et habeo gratias vestre reverendissime  
dominationi, quod heri ad vesperum literarum  
quas ex Hungaria accepit, copiam mihi fece-  
rit, quas ego hodie isthinc discedens ad illam  
remisi. Quod ad literas in commendationem Ju-  
daorum attinet, hodie hic illas scribam, et scri-  
ptas ac obsignatas cras ad dominationem ver-  
stram reverendissimam mittam, nam unum  
tantum scribam hic mecum habeo. Ego vero die  
Mercurij Deo bene iuvante isthuc revertar. Nam  
huc solius animi colligendi causa secessi. Scri-  
pseram autem ego iam alias ista de causa ad  
Dominum episcopum Tridentinum, et Dominum  
episcopum Vratislaviensem, nunc etiam ad illos  
et alios, ad quos cupit vestra dominatio reveren-  
dissima scribam. Interea felicem et incolumem  
esse dominationem vestram reverendissimam ver-  
hementer opto, eidemque me ex animo com-  
mendo. Datum ex Bolechowice die vigesima  
prima Junij

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*